INCLYTO COELITUM
DOCTORI,
UNUS PRO OMNIBUS CLAMITET LABET:
DIVINÆ VOLUNTATIS
ANGELICO INTERPRETI
AD SUPEROS USQUE SUAM CLEMENS EXTOLLAT VOCEM:
SPLENDIDISSIMO CATHOLICÆ FIDEI
ATHLETÆ,
DEI MATER MULCEAT ALLOQUIO:
VERBO,


SANTO THOMAS DE AQUINO.

PRÆEXCELSO SCHOLARUM
CORIPHEO,
LOQUANTUR ACADEMIÆ VOCE PLENA:
SAPIENTISSIMO THEOLOGIÆ,
PRINCIPI,
PER QUAM HILARITER PLAUDAT ALMA
MATER ECCLESIA:
OPTIMO ABSCONDITI SACRAMENTI
SCRIPTORI,
CRUCIFIXUS TER COLLOQUATUR,
VOCE,

ANGELICO NOSTRO PRÆCEPTORI D. THOMÆ AQUINATI,

OMNIUM SAPIENTIÆ FLUMINUM, DILIGENTISSIMO SCRUTATORI,

THESAURORUM ATQUE IN IMA IPSORUM LATENTIUM PRODUCTORI ADMIRABILI, &c. &c. &c.

P. F. EMMANUEL JOSEPHUS MACUSO,

HUMILIMUS IPSIUS DISCIPULUS, & PRÆDICATORUM ORDINIS ALUMNUS,

TUAM, MAGISTER ANGELICE, CEU CATHOLICAM, ADMIRANDAM, VERIDICAM, (SCIENTIBUS PONTIFICIA DIPLOMATA LOQUOR) universalem Ecclesiam illustrantem; Præ cæteris, excepta Canonica, verborum proprietatem, dicendorum modum, veritatem sententiarum habentem; ita ut nunquam, qui eam tenuit, á veritatis tramite videatur deviasse: In veritate, & charitate fundatam; cœlestem, inconcussam, tutissimam; omnium hæresum tela feliciter eludentem, sine ullo prorsus errore conscriptam, & expressa Christi voce comprobatam, Doctrinam, tum Exteri, cum Nostrates, longinqui temporis usu perjucundè, alacritèrque experiuntur; & nemo in palestram aderit, qui præclaram, qua coruscas, Sapientiam magnificè non laudet.

SED ¿NUNQUID SATIS, SUPERQUE¿ ENIM LAUDIBUS SEMPER LAUDANDA SUPERERUNT.

VIVE IGITUR, & SINE TEMPORE VIVE, HOCQUE ALIQUALE NOSTRI ERGA TE CULTUS, UT IN MARE, UNDE EXEUNT FLUMINA, REVERTANTUR, BENIGNO RESPICE VULTU,

HAS, VIDELICET, THEOLOGICO-HISTORICO-DOGMATICO-CÆSAREO-CANONICO-SCHOLASTICAS PROPOSITIONES,

QUAS NOMINI TUO SUPLEX, & GRATUS

D. O. C.

EX SECUNDA SECUNDÆ PARTIS SUMMÆ SACRÆ THEOLOGIÆ EJUSDEM S. DOCTORIS QUESTIONEM SEXAGESSIMAM QUARTAM cum omnibus suis Articulis, insuperque Conclusiones sequentes, ex ipsis Articulis deductas, & alias, tum ex utroque Jure, Civili, & Canonico, cum Natalis ab Alexandro, magni que Lemosij, quantum poterimus, substinebimus.

1. ANimalium brutorum occisio, non modo jure naturæ, sed etiam ex concessione divina, omni tempore licita fuit.
2. Somnium fuit Manichæorum brutorum occisio prohiberi in quinto Decalogi præcepto.
3. Carnium esum Antediluvianis hominibus insuetum, etsí plerique Patres asserant, á Deo tamen prohibitum fuisse, ex Scriptura sacra certo colligi non potest: probabiliterque deffenditur, post naturam lapsam inter humanos cibos usurpatas fuisse.
4. Est valde probabile, quod homines vescerentur carnibus, si in statu innocentiæ perseverassent.
5. Agros colentes, fruges metentes, fructus ex arboribus decerpentes, plantas, & legumina quælibet evellentes, nullatenus homicidij reos credimus contra Manichæos.
6. Præceptum illud, non occides; non est ea generalitate inteligendum, ut cunctas in universum hominum occisiones comprehendat, nec adeo strictè, ut ad solum innocentem se extendat.
7. Optima quinti præcepti intelligentia, non occides hominem injustè.
8. *Potestates sæculares non sunt peccati mortalis reæ, quod malefactores capite plectant, ut malè sentierunt Waldenses.*
9. *Salomon fratrem Adoniam justè capitis damnavit.*
10. *Præter mortis supplicia, lege veteri stabilita, potuit semper, potest que Princeps, justa doctus ratione, leges novas facere ipsius inflictivas.*
11. *Nihil obest, in lege Moysi determinatam non fuisse capitis sententiam pro fure diurno, ut Judex eam justa de causa pronuntiet.*
12. *Nec privatus civis, nec Princeps supremus deprehendens uxorem, vel filiam in adulterio secreto, eam occultè occidere valet.*
13. *Christum, revocasse legem adulteræ occidendæ, nulla consequentia potest ex Evangelio colligi*
14. Justa est lex tradens adulteram merito, ut eam, si vellit, occidat; ipse tamen potest eam vel occidere, vel parcere.
15. Princeps non potest generalem legem instituere, ut unusquisque, quem obsam publicus sit Reipublicæ, aut Regis invasor.
16. Post latam sententiam licet quosque ministros instituere.
17. Nec singulis civibus, nec populo universo licet insurgere in Principem absolutum, etiamsi tyrannicè imperet.
18. Jephté votum crudeliter implevit in filia, non virginitatis consecratione, sed mactatione cruenta.
19. Sanctorum martiria, Cristique Domini mors, fuerunt à Deo volita, & præordinata; licet, injustê ab occisoribus peracta.
20. Non ex natura, nec ex jure divino, sed ex Ecclesiæ instituto, Clericis maleficos occidere prohibetur.
21. Nomine Clerici in ejusmodi prohibitione omnes promiscuè comprehenduntur, tam minoribus, quam sacris initiati: tametsi quantum ad culpæ gradum non sit eadem omnium ratio.
22. Prælati Ecclesiastici habentes temporalem jurisdictionem, possunt concedere facultatem Judicibus á se assignatis, ut sententiam proferant etiam in causa sanguinis.
23. Est injustitia manifesta, quempiam damnare, ut seipsum occidat.
24. Vitam pro Deo, & in ejus fidei testimonium, ponere, divina lex jubet.
25. Nullatenus vitam spiritualem amittere, aut minimam ejus jacturam facere licet, etiam pro salute spirituali totius mundi.
26. Licitum est, & sæpissimè officium, vitam corporalem exponere, non solum pro vita spirituali proximi, verum & pro temporali, quin etiam pro ejus honore, & fama, bonisque temporalibus.
27. Samsonem, & Eleazarum, primum ruina domus oppressum, secundum Elefantis mole interfectum justè à suicidio excussant Theologi.
28. Razias, licet à multis excussetur, à Nobis tamen cum D. Thoma seipsum occidendo peccasse deffenditur.
29. Cum D. Augustino lib. 1. de Civitate Dei, *quæ se ob illatum sibi stuprum peremit, nec Catonem, qui victoriam Cæsaris non ferens, se interemit, ab homicidio liberos judicamus, non obstantibus summis Romanorum laudibus.*
30. *Seipsum occideus, non peccat contra justitiam per comparationem ad se, benè tamen per respectum adRempublicam, & ad Deum.*
31 Judex in ultimas conclusus angustias, debet contra innocentem sibi notum, secundum allegata, & probata sententiam pronuntiare.
32 Etiam pro salute totius Reipublicæ, ilìcitum est, innocentem in manus inimicorum perdendum tradere.
33 Si Miles bona fide credat, justum se gerere bellum, potest aggredi hostem, licet illum innocentem judicet.
34 Ob conservandum honorem, aut famam non licet calumniatorem occidere.
35 Etiamsi invasor alapa, vel fuste hominem infamare pertentet.
36 Vix concederem casum repertum iri, in quo licita esset furis, aut rerum detentoris occisio, ob meram bonorum temporalium deffensionem.
37 Injusta est occisio invadentis pudicitiam, ad vitandum culpæ periculum.
38 Pro deffensione vitæ, bonorum; honoris, pudicitiæve proximi, non licet invasorem occidere.
39 Sichimitæ á filijs Jacob ob Dinæ raptum inique perempti sunt.
40 Moyses Ægiptium insultantem Hebræo interficiens, homicidij reus non extitit.
41 Casuale homicidium, per accidens volitum, non est semper peccatum mortale, sed tantum quantum in sua causa.
42. Dans operam rei licitæ, prudentemque adhibens diligentiam, si casu quempiam occidat, nullo irregularitatis notamine sordescit: bené vero si det operam rei ilicitæ. vel non adhibeat diligentiam.
43. Res ilicita, non qualiscumque, sed quæ genere suo causa esse solet homicidij, venit, inteligenda.
44. Interfecciones, quibus aliqui præter spem á grassatoribus interimuntur, sunt à divina providencia intentæ vereque volitæ, & præordinatæ.

Digresio critica in favorem Scholæ Thomisticæ.

1. Nil assertivé docuit D. Thomas de esu carnium inter homines Antediluvianos.
2. Incusare D. Thomam tanquam patronum sanguinariæ doctrinæ quam adversum Regicidas, & Tyrannicidas merito damnavit Concilium Constantiense, insigne mendacium est in maledicorum officina confictum: immo potius, omni argumentorum genere catholicæ Ecclesiæ sententiam propugnat.
3. Nec S. Antoninus, nec Silvester, nec Victoria, nec Bannes, uuquan *senserunt, interpretaruntve D. Thomam pro proscripto Tyrannicidio.*
4. Alucinantur, & cæcutiunt, qui eruditissimum Concinam, tom. 4 Theol. Dogm. lib. 7. disert. unic. de homicidio cap. 5. §. 2. singulari energia recens stabilisse, auxisseque Regicidarum opinionem, confingunt.
5. Parum juris ostendunt, qui calumniantur D. Thomam, astruentem irregularem esse Clericum, qui se deffendendo aliquem interficit.
6. Falso insimulant Magistrum Soto, qui asserunt apperté deffendere, licitè posse occidi furem pro rebus parvi prætij, etiamsi aliter recuperari possint.

DEFFENSANDAS SUSCIPIET, QUI SUPRA DICAT, IN HOC Sti. PATRIS NOSTRI DOMINICI CIVITATIS ASTENSIS CONVENTU diebus 26. 29. & 30. Januarii anni 1793. Sub auspiciis R. P. Fr. FRANCISCI ORTIGOSA, in eodem sacræ Theologiæ Lectoris,

MANE, ET VESPERE.

Ex Typographica Officina D. EMMANUELIS XIMENEZ CARREñO, Via Lata.

estas Conclusiones, con á las q.e á de responder el Doctor
Ntan.l Custodio; y dice q.e saldrá respondiendo á todo lo q.e aqui dice; sea ó no un
p.a lo q.l suplico, ó me dicen las q.e quando guardar y q. p.r el Correo hase me las mandaran,
q.e me costo la Carta 24 q.os; y los pape p.r la curiosidad de si el D.r Custodio respon
meria á lo q.e contradice. Año de 1794.

Quando lo pusieron aqui le costaron el primer renglon, y assi doy precio poner aqui
esta advertencia; p.r q.e no se estrañe el aver empezado tan arriba la apuntación, ni
el modo con q.e el primer renglon se puso despues p.a llamar a la vez Ntan.l Custodio.

Fr. Josef Custodio

En 29 de Junio de 1794 as.

La Respuesta a estas Conclusiones, con otras cosas
dignas de leerse estan en el N.o 120 p.r el dho. Custodio; al fin de
el papelon Impreso de varios asuntos =